




68
13 D
28

DE NOVA CHRISTIANI ORBIS PACE ORATIO.



Romæ apud Antonium Bladum Asulanum.

M. D. XLIIII.



DE NOVA
CHRISTIANI ORBIS
PACE
ORATIO.



ODIE Nobis illuxit dies fœlicissimus, Pater Beatissime, in quo omnipotenti Deo, prudentiæq; et vigilantiæ Sanctitatis tuæ æquum est, nos acceptum referre, quòd viuimus, quòd spiramus, quòd ex diuturnis emersi tenebris, luce, et liberiore vita perfruimur. Effulget iam splendor vere matutinus, disiectæ sunt caligines ab oculis Christianorum Principum, tandemq; depulsæ sunt errorum nebulæ. Pace nunc demum inter ipsos composita, qua non modò ij, quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta, atq; agri mihi lætari videntur. Non amplius Tubarum clangores ferient aures calamitosarum gentium: Non tormentorum bellicorum sonitus ille horribilis & execrandus, vrbium & oppidorum mœnia quatiet, diruet, ac prosternet. Frustra tu quidem antea nitebaris optime PAV-



L E, Oecumenicum illud Concilium, nostræ adeo saluti utile, et necessarium congregare, impeditis passim itineribus, Marte undiq; furente, et debacchante. Nihil sanctum, nihil tutum erat: Non poterasq; non admittere iustissimas absentium, atq; illi interesse debentium, excusationes. At mores corrigendi erant, sed obstabat bellum: Hæreses quoq; extirpandæ, obstabat bellum: Aduersus immanissimos Turcas decernenda expeditio, obstabat bellum. Denique uti ad patranda scelera omnia, aptum erat bellum, sic ad bona peragenda, aduersabatur bellum. Cumq; ob id ipsum bellum Respublica nostra Christiana ad extremum prope deuenisset interitum, tu tamen P A V L E, forti, imperterritoq; animo, nunquam tui muneris quicquam prætermisisti, neque te unquam nutantem, aut de pace penitus desperantem vidimus. Sciebas enim (quæ tua est diuinitus infusa prudentia) cum semina illa firmandæ pacis tanto studio iaciebas, ea quandoq; maturam ad frugem peruentura, teq; ipsum, qui tot lachrymis, tot laboribus, ea seminaueras, cum exultatione plenos aliquando reportaturum manipulos. Cæterum ad ipsos, qui adeo inter se dissidebant, Principes, mea nunc decurrit oratio: perinde ac si illi quoq; adessent in hoc tam celebri, tamq; fausto die. Dum hæ gratiæ Deo præ-

potenti, atq; illibatæ Virgini, qua possumus facultate, & viribus, aguntur.

A TE igitur CAROLE Maxime, Imperator Auguste, nullis præludijs, nulloq; dicendi artificio, quamprimum exordior. Omnes homines, qui de te cogitant, non temerè putant, tibi supra mortalitatem tuam tributa omnia. Teq; dijs immortalibus simillimum iudicant, dum incomparabilem in te prudentiam, tuasq; res præclarissimè gestas, recto perpendunt iudicio. Cùm enim summus ad regendum sis Imperator, summi quoq; Ducis ad agendum consilium, atq; animum geris: quo fit, vt te nemo sit in terris, animi magnitudine præstantior, concilio prudentior, dignitate præclarior, euentu fælicior, quem noua regnorum amplitudine, quem armis, quem opibus, quem fortitudine, omni iam superata inuidia, mortalium omnium longè principem, gentes omnes, populiq; confitentur.

DE TE verò FRANCISCE Maxime, Fræcorum Rex Gloriosissime, Christianissime, Inuictissime, quid dicã potius? aut vnde initium sumam? Adeo enim pfectissime sũt in te virtutes tuæ eximiæ, vt vnaquæq; primũ sibi deposcat locũ: Adeo immensæ, atq; innumerabiles, vt difficillimũ sit, de illis dicendi exitum inuenire, quarũ potissima vsqueadeo viget in te, bellica illa virtus, vt priscis quoq; scriptoribus, ad ea celebrãdã,

quæcunq; abs te, iugi memoria digna, emanarunt, solus possis abunde sufficere. Quamobrem, cum tuã ingentem potentiam intuemur, tuã magis, magisq; prudẽtiam perspicimus, tuæ fœlicitatis incrementum admiramur, tibi vera in liberalitate neminem eorũ, qui sunt, fuerunt ue, conferri posse prædicamus. Tibi insuper omniũ scientiarũ, non modo cultũ, et patrociniũ, sed earundem quoq; exactam notitiam diuinitus traditam esse arbitramur.

VERVM enimuero vtrunq; vestrum iam simul alloquar, posteaquam Dei Optimi Maximi auxilio, pietate vestra, sedulaq;, ac peruigili Pastoris nostri diligentia, factum est, vt vnum, atque idem sitis. Videte obsecro, concordissimi Principes, & vobiscum in animo consyderate, tot, & tanta hæc vobis cælitus collata beneficia, quæ certe scio, non vobis modo ipsis data, sed ad vsum quoq; vniuersæ Christianorum Reipublicæ, existimatis. Illa profecto, cum in uobis solis minime sint, verum per vos potius ad vniuersum Orbem Christianum pertineant; si communicetis; in vobis quoq; splendidissima elucescent. quod si vobis ipsis ea quodammodo vendicetis; neq; in vobis diuinitus permanebunt, quinimmo citissime dilabentur, euanescentq;. Proinde, cum per ineffabilem illam altissimi Dei misericordiam discussa sit tanta inter vos priuatarum simultatum caligo, num modo ab

armis quiescendum esse censebitis? quasi verò plus proprijs debeatis affectibus, ac perturbatis animi motibus, quàm omnipotentis Dei causæ, quæ agenda superest. À quo vno fœlicia illa omnia, et prospera, quæ recensui ad vos emanasse nòn denegabitis. Perpendamus igitur, quantum misera ipsa fidelium Respublica, præsentissimo vtriusque vestrum indigeat auxilio, quod quidem suo quasi iure sibi à vobis debitum reposcit. Quisnam erit vnquam animo tam crudeli, tamque obdurato, ut absque redundanti lachrymarum copia recogitare valeat, Confluxisse olim ad celeberrimam illam Nicenam Synodum trecentos, & duodeuiginti Præsules, Patres sanctissimos, magno assistente Constantino. Quorum omnium singulæ tunc Ecclesiæ nobilissimæ, florentissimæ, religiosissimæ habebantur, nunc ignobiles, desertæ, deturpatæ, per totum Orientem, ac vniuersam Græciam vix agnoscuntur. Quæ & sacra illorum quoque temporum supellectili spoliatæ, ad omnes impiorum canum, fidei nostræ hostium, fœdissimos, & spurcissimos usus patent. Ò acerbissimum spectaculum, ò crudelem memoriam. Quid enim de sacratissimis illis diuorum Martyrum ossibus, tunc ibidem religiosissimè collocatis actum putemus? Non quòd illos huiusmodi tangat iniuria, qui sponte, dum viuerēt, sese dilaniandos pro CHRISTI nomine carni-

ficibus obtulerunt, sed uos ipsos, uos inquam ipsos, hæc contumelia, hoc dedecus afficit, qui præclarissimo cognomine isto decorati, fidem hanc sanctam profitemini, quam illi per adeptam martyrij coronam sua morte confirmarunt, sanxerunt, adauxerunt? Quid & commemorem paulopost eum conuentum adhuc sexcentos alios patres integerrimos, ex ipsis nunc deperditis Ecclesijs Constantinopoli conuenisse? quid deinde Ephesi? quid iterum Constantinopoli? quid Calcedone? quid alibi in toto Oriente frequentissime? Quod si libet magis, animum iam ad alteram Orbis partem, quæ ad Austrum porrigitur, conuertamus: Quantus, & qualis sanctissimorum patrum numerus sæpe Alexandriæ, sæpissime Carthagini, nonnunquam Hippone conuocatus est? Quæso, quis lacbrymas non effundet? cum sedes illas sanctissimas in turpissima canum stabula intelligat esse commutatas? Iam uero exiguum hoc Europæ nostræ spatium, quod sortiti sumus, prætermisso illo præclarissimo Bizantij Imperio, missa vniuersa Græcia, missa Panonia, atque Sarmatia, totque alijs propemodum innumeris Europæ ipsius prouincijs, insulis, ciuitatibus: quas recenti nostræ huius tempestatis memoria, sæuissimus ille hostis subegit, conculcauit, depredatus est: exiguum, inquam, id ipsum, quod uix reliquum tenere dicimur, non ne magna

ex parte

ex parte uenenoso afflatum Sathanæ spiritu iure, merito'que labefactatum; atque deperditum, et dici potest; et haberi? Cum regna etiã integra (proh dolor) quæ nuper Christianam pietatem religiosissime excolebant, in ipsius quoque subdoli Sathanæ ditionem ex toto concesserint. Sed profecto miserandum in modum periissemus, nisi aliquando conuersa ad nos opportune Dei misericordia PAVLVM Tertium, Pontificem Maximum gregi suo, iamiamque pereunti, præfecisset, qui demum post tot, et tantos terra, mari'que susceptos labores, insperatũ naviculæ suæ fluctuanti attulit præsidium, a beati quidẽ Petri miraculis nõ absimile. Nam, ut is antea quã ad ægrotantes propius accederet, eosdem sola sui ipsius umbra, grauibus quibusque morbis liberabat. Sic et duo maximi Christianorum Principes, cum acerbiori ægritudine vexarentur, sola honestissimæ legationis, ad illos PAVLI nostri iussu properantis, reuerentia, quãuis eo minime peruenerit, protinus tamen liberati sunt, et ad perpetuã, constantem'que animi voluntatem mutuo reconciliati. Ea sunt ipsorum Principum in te PAVLE, verum tranquillitatis nomẽ, pietas simul, et obseruãtia. Profuerunt ad id quoque admirabiliter, toties ab hoc ipso vero Christiani gregis Pastore, pro hac re, publice fusæ preces, publice indictæ feriæ, decretæ ubique supplicationes. Hos itaque recta iã incedentes via,

nunc omni laude, atque solida gloria dignissimos celebremus, extollamusque, qui sanctam ipsius Pastoris vocem, firmissimumque propositum, pia mête, puro affectu, syncera charitate, exceperint tandem, & comprobarint. NVNC, quæso animaduertite, nã meo quidem iudicio minime pœnitendum est, tot, et tãta inter eos hactenus extitisse belli dissidia: Durius fortasse hoc, atque difficilius videbitur, quàm ut cuiquam valeat persuaderi: verũ tamen experiamur, si qua forte possit non improbabili ratione deduci. Hostis est nobis potentissimus, grandẽque, atque selectum iugiter alens exercitum, tot fere victorijs, quot prælijs (gemens hoc dico) exercitatum. Nullus enim mortaliũ, in tantis, ac tã diuersis orbis regionibus, adhuc illi valuit ad finẽ vsque resistere, Te vnum CAROLE Maxime semper excipio: qui solus ferocissimos illius impetus sæpe retardasti. Illumque non difficili admodum ratione terra, marique vinci posse, vniuerso orbi significasti. Infortunium hoc itaque intestinorũ, ac ciuilium bellorum id saltem effecit boni, vt iuuentus omnis nostra ad virtutem bellicã excitata sit, atque exercitata. Plurimi deinde constantissimi, ac in bello inuictissimi Duces hinc euasere. Præterea classis maritima, tam magis, quàm antea consueuisset, florentissime instructa est. Denique in vnum fere locũ tot Germani, tot Galli, tot Hispani, tot Itali milites, atque Duces coacti sunt,

B

vt non humano magis iudicio, quam diuinitus tantas oppor tunitates, tantas opes, tantam vim strenuissimorum hominum, in vnum tempus, in vnum locum, in vnam voluntatem coiuisse, ac sanctæ, et inuiolabilis pacis vinculo obstrictas esse constet. Hanc igitur occasionem tantam, sic paratam, sic expeditam, si neglexeritis, cauete, ne beneficij sui pœniteat diuinam bonitatem, quæ ob id ipsum maxime, vt causam eius strenue suscipe-retis, vos in vnum conuocauit, armauit, ditauit, atque adeo instruxit, ut fraterna ista concordia freti, Duce tali, ac tanto Pastore, accedentibusque (ut speramus) Illustrissimi Senatus Veneti, cæterorumque fideliũ Orbis Christiani Regum, Principum, Ciuitatũ, totis, atque immensis uiribus, dubitandum minime sit, quin ad uictoriam accedatis exploratissimam, quam cum humana quæuis ratio non deneget, diuinæ etiã bonitatis insuperabile auxiliũ certissimam repromittit: satis namque præteritis bellis declaratũ est, plus fiduciæ hostem in Christianorum discordia, quam in suorum virtute, fortitudineque reposuisse. Nostri enim si quando ad hanc sanctissimam expeditionẽ cõuenere, parua sæpe manu ingentes hostium copias fuderunt, fugaruntque. At vero hostes callidissimi, non virtute, sed tẽporibus pugnant, nam pulsi tantisper quiescunt, dum nos ad amentiam nostram, ac fatalem quasi calamitatem redimus. Nec

prius à nobis ipsis, inter nos classicum cecinit, quã illi continuo in nostras calamitates, in nostras discordias impetum facientes improuisos, occupatosq; adoriantur; cùm nec intra suos quidem ipsorum fines, ij sese à nostratibus tutos uix antea cõtinerent: nostra usqueadeo in eiusmodi exteras nationes potest concordia. An non potuere pauci Galli vnanimes manu quadam tumultuaria e domo profecti, cum in Asiam peruenissent, eam uniuersam occupare? pacis q; conditionibus, ac legibus toti Asiæ datis locum sibi ex amplissimis, et fœcundissimis campis in Paphlagoniæ finibus, ad habitandum deligere? Quid igitur futurũ arbitremur? cùm ijdem ipsi Galli, instructis, ac longè potentioribus copijs, sub tali, ac tanto Rege, una cum cæteris omnibus Christiani Orbis uiribus proficiscentur? Et aduersus immanissimum illum hostem prorumpent, quẽ semper unius tantùm Cæsaris uires sustinuerunt, nonnunq̃ etiam fuderunt, atque in fœdissimam fugam adegerunt. Quamobrem cùm tu PAVLE optime nulla cohortatione indigeas, sis q; omnia, quæcunq; tuo incũbunt muneri, cumulatissime præstiturus, patiare quæso, ut me rursus ad hæc firmissima Christianæ Reipub. robora, præclaraq; fidei, et religionis nostræ ornamenta conuertam. TV itaq; Inuictissime CAROLE, ne quid hãc opportunam, atque honestissimam expeditionem retar-

daueris, præsertim cùm et Aphricanum, et Asiaticum bellum iure quodam proprio tibi debeatur: Alterum enim quasi per manus traditum est, ac relictum. Cùm maiores tui, quoties cũ Aphricæ populis bella gesserunt (gesserunt autem sæpissime) toties triumphalem de illis uictoriam, et opima spolia reportarint: In altero tui muneris est, Orientis Imperium, alias pulcherrimum, et potentissimum, cum Occidentis Imperio coniungere, miserrimam Græciam, tot'q; illi finitimas prouincias, turpissimo seruitutis iugo liberare, siquidem ipse ab ingenti captiuorum, atque oppressorum numero, tanquam numen quodpiam diutius exoptatum, iampridem expectaris, nec id temere profecto, quocunq; enim ueneris lux illis, et salus, et libertas uenisse uidebitur.

AT *tu religiosissime* FRANCISCE, *Regum tui sanguinis egregium splendorem, rerum'q; toties in eiusmodi prouincia optime gestarum magnitudinem, ad memoriam reuoca. Viuunt ipsi in hominum animis, ad hanc usque diem, uiuent'q; perpetuo, præclara eorũ facinora marmoratis undique laudibus exornãtur. Agnosce obsecro, non sine magno altissimi Dei consilio, longe late'q; patens, et amplissimum insuperabilis Galliæ Regnum, tibi uni post homines natos undequaq; integrum, tua non minus uirtute, q̃ fœlicitate quadam perpetua contigisse. Tunc profecto intelliges, quod optime*

facis: te ingentem maiorum tuorum gloriam facile superaturum. Nulla quidem fuit vnquam ætas adeo stupida, nullæ adeo ingratæ repertæ sunt literæ, quæ honorifica verborum cõmendatione Præclarissimorum Galliæ Regum memoriam, et propensa in Christianam Rempublicam studia, non prædicauerint semper, atque extulerint. Publica vigent Caroli Magni monumẽta: Vigent Lodouici eius nominis primi: Vigent & Philippi VALESII à quo tibi nobilissimum genus, in sempiterna propagandũ secula, deductum est: Sed tamen nõ modo par, verũetiam multo præclarius, et illustrius te consequetur immortale laudum tuarum præconium.

HIC Ego, prudentissimi Principes, non vestrum vtriusque officium, non dignas vobis virtutes recensebo, non quæ de rei militaris scientia, aut bello gerendo præcepta traduntur, eloquar: non quibus itineribus, quibus copijs, quibus consilijs res tanta aggredienda sit, nũc aperiam. Cùm uis, facultas, diuitiæ, arma, Duces, milites, exactissima denique ipsius belli scientia, uobis non desit. Vereor præterea, ut si copiosius id explicare contẽdam, ne in illam, qua Phormio Peripateticus ab Hannibale, ob hoc ipsum notatus est, reprehensionem incurram. Agite igitur Optimi Principes, agite fortissimi Duces, agite milites intrepidi, totis adeste animis, totis insurgite viribus, arma capescite. Vos ad certam, ad indubi-

talam victoriam, ad perpetuam laudem, et gloriam, ad æternos ingentesque triumphos properantes video. Iamque diem illum serenissimum, diem memorabilem; diem iucundum uidere uideor, quem nulla unquam delebit obliuio. Cum, tantis regionum spatijs terra, mari que emensis, tandem aliquando ad sacrosanctæ Ciuitatis fines perueniemus: eminentiaque procul Hierosolymorum tecta conspiciemus: Quæ tunc occurrent diuinæ species cælestis fidei? qui splendor? quæ olympi iam patefacti imago? tunc certe exacti labores omnes præ tanta iucunditate, atque lætitia, pro nihilo æstimabuntur. Porro Duces, ac milites, cæterique boni omnes clamoribus sublatis Hierusalem, sanctam sæpe Hierusalem salutabunt. Conflagrabunt studijs, vrgebunt signiferos, eo certatim pedem inferent: sua quemque uirtus, sua pietas, suus ardor stimulabit: nihil eis longius, nihil distantius videbitur, quam in illis religiosissimis templis, sanctissimisque delubris, corpora sternere, atque exoptatis terræ amplexibus, conceptam animo religionem satiare. Tunc erigetur, magna omnium lætitia, hilari cantu, atque alacri plausu, insigne illud Crucis, sanctum, memorabile, & salutiferum Vexillum, eo inquam in loco erigetur, qui iampridem Redemptoris nostri sanguine conspersus, & consecratus, postea vero (sic nostra commeruere crimina) fœdissime per hostes impurissi-

mos conspurcatus, his tandem authoribus, & vindicibus restituetur, ac repurgabitur. O felicem, & semper commemorandum diem illum, o alacritatem non antea cognitam, o gratulationem non enarrabilem, Summe Deus, quòd tunc erit gaudium? quæ communis omnium hilaritas? qualis, & quantus iucundissimarum lachrymarum latè redũdantium fluxus? quas, cum ex ipsa tantùm rei commemoratione, vix (vt video) contineatis, quid in re ipsa futurum existimabimus? Sed cum ad dicendi metam peruenerimus, nunc eas, quæso, cohibete, & ad iucundissimum diem illum vberius effundendas reseruate, DIXI.

ROMAE Habita, in æde Virginis suprà Mineruam, post Missarum solennia, ad Sanctissimum D. N. PAVLVM Tertium, Pont. Max. à Philippo Archinto, eius in Vrbe Vicario. Quarto idus Octobris.

M. D. XLIIII.

